

# FRANCISCO VALESIO

REGI POTENTISS. ET

Christianissimo .

GVLIELMVS PHILANDER

CASTILLIONIVS .

Victoriam .



**VISSE TEMPVS**, Cum in montibus ac syluis dispersi dissipatiq; homines bestiarum more vagarentur, et sibi victu ferino vitam propagarēt, Rex inuictiss. legimus, nō dum ii prudentium consiliis, aut disertorum oratione deliniti, a fera agrestiq; vita, ad humanum hunc civilemque cultum deducti, se oppidis mœnibusq; seferant. Et principio quidem, cum id tantum agerent, vt se suaq; ab aduersis tempestatibus tuerentur, vt contra Solis ardores tuta diffugia haberent, cœperunt aliqui e frondibus tecta facere, speluncas alii fodere, qui ingenio præstabant, furcis erectis, & intertextis virgultis luto parietes inducere, ea fuerūt ædificatoriæ rei incunabula. Proxime qui sequuti sunt, iis imitis non contenti, non modo quæ ad salutem essent necessaria curauerunt, sed eorum quæ ad expeditas quasq; pro inata tamen frugalitate commoditates assequendas conferrent, nihil vsquam prætermissum volebant. Itaq; eam frugalitatem et parsimoniam in ædificiis, posteritas publice & privatim sequuta est,